



1687.

1. Berger, Jo. Henricus : Fontes adjectivorum  
qualitatum . . . . .
2. Berger, Jo. Henricus : Renunciationem jurium . . . . .

7



1687

3. Berger, Jo. Henricus : De jure rerum pertinentium.
4. Berger, Joh. Henricus : De privilegiis aegrotorum.
5. Brendel, Joh. Kasp. : Privilegium dotis in con-  
cursum creditorum.
6. <sup>a</sup> Brendel, Joh. Kasp. : Fura fidejussionis.  
6. <sup>b</sup> Graun
7. Heber, Georg Mich. : De jure eligendi.
8. <sup>a</sup> Kirchmaier, Georg Kasp. : Latinitas legalis praeter  
8. <sup>b</sup> Kirchmaier suspecta, . . .  
9. Leiser, Wilhelm : De prorogatione jurisdictionis
10. Leiser, Wilhelm : De crimine caesae majestatis
10. <sup>b</sup> Leiser, Wilh. : De crimine caesae majestatis
10. <sup>c</sup> Leiser, Wilh. : De reservatione juris competentis.
11. Roesser, Joh. Georg : Hominem ad se conservandum  
obligari. . . Demonstrare conatur.
11. <sup>a</sup> Schünfler A, Herr Saml. : Propositiones historico-geo-  
graphicae . . . Edisseret atque defendet . . .
12. Thile, Joh. : De usu et abusu potus calidi cum  
herba theae
13. Weickman, Joach. : Promissionem ab turpem causam  
non esse obligatoriam . . . defendet.



1687

14. Wendius, Joach. Thom. auct.: Nabalium apud Veteres  
solenitatibus . . . proponunt.

15<sup>a-6</sup> = Ziegler, Kaspar: De praedictis censiticis  
juramentis 2 Exempl.

16. Ziegler, Kaspar: De parentati proximis  
omnibus juribus.

17. Ziegler, Kaspar: De jure successionum et  
heredum.

12819

ADJECTIVARUM

QUALITATUM.

FRANCO

DN. JO. HENRICO BERGERO,

Magistro, Universitatis & Fa-

cul-tatis, quod in

Alteburg, Fa-

cul-tatis, Decano.

DE VIT. ANTON. DE EXCERPT.

FRANCO

FRANCO

FRANCO

FRANCO



1687

14. Buntius, Jacob Leonard: Metaphysica sive Philosophia  
scolastica. . . . .

15. B. Buntius, Jacob Leonard: De philosophia constanti  
scolastica sive . . . . .

16. Buntius, Jacob Leonard: De philosophia constanti  
scolastica sive . . . . .

17. Buntius, Jacob Leonard: De philosophia constanti  
scolastica sive . . . . .



No. 5.

Vol. III.

LXXII.

1687

14

30

20

9.1.

**NATALIUM**  
**Apud Veteres Soleñitatem,**  
 Divini Numinis Auspiciò,

*Dissertatione publicâ proponent*

PRÆSES

**M. JOACHIMUS IMMANUEL**  
**WENDIUS,**

Colbergensis Pomeranus,

& RESPONDENS

**JOHANNES JACOBUS BECHLERUS,**

Nordlingâ-Svevus,

*ad diem Martii Hor. VIII.*

*In Auditorio consueto.*



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Academ. Typogr.

ANNO MDC. LXXVII.







§. I.

**R**itus iste celebrandi Natales, in Gentiliū monumentis fundatus, Christianis quoque in primitiva Ecclesia frequentatus est. Facile autem L.B. sibi pollicebitur, nos in præsentī non diu moraturos esse Natales, qui præter homines rebus quoque inanimatis tributi, à veteribus celebrabantur. Sic *Urbium Natales* sub Paliliorum (aliis Pariliorum) nomine solennes fuisse testis est *Alexander ab Alex. de diebus genialibus L. II. c. 22.* Urbis (Romam intellige) Natalis meminit *Cicero in Orat. pro Flacco. Templorum* quoque *Natales* veteribus non insolennes fuisse, quales Salomon celebravit, confirmat *c. 8. prior. libri Regum:* quo etiam pertinet *Renovatio Templi* post captivitatem Babyloniam, de qua legi meretur *c. 6. Esdr. v. 16.* ejusdemque *repurgatio* fundata in *2. Paral. 1.* Ad horum Natalium classem refer quoque *Natales Academiarum*, *Natales dierum*, quibus vel dignitas aliqua alicui collata erat, vel latius quid fausti que evenerat, vel à vitæ periculo servatus quis fuit præsentī, & inde *Natales Imperii, Adoptionis, Reditus, Navigationis, &c. dicti:* vid. *Hor. l. 1. carm. od. 36. it. l. 3. Carm. od. 8.* vid. etiam *Henr. Lindenbrogius in eruditis notis super c. 2. libri Censorini de Die Natali.* In his uti diximus, & aliis Natalibus citandis diducendis que, modo etiam loquendi valde improprie & καλαχρησινως ita dictos,

B. L. non diu morabimur, multò minùs in ritum, quò celebrati fuère, prolixè inqviremus.

## II.

Magis ad præsens facit institutum, scrutari *Natales Hominum*, qui Græcis *ἡμέρα γενέθλιος*, Ebræis יום הולדת, à rad. ילד, genuit vel peperit, Latinis *Natalitia* vel *Natalia*, it. *Natales* absolutè, vel adjectâ vocolâ *Dies* dicuntur. Animantia enim cum propriè, & Homines καὶ ἄνθρωποι, nasci dicantur, *Natales* etiam ad homines, & omnia, quæ ad Nativitatem Hominis spectant, referri debent. Ritus hujusmodi Natales celebrandi quoad originem primam Pharaoni Regi Ægyptiorum acceptum ferunt, quem sibi Natalem suum sumsisse solennem, memorat Moyses, Scriptor *Ἰερόπρεσβυτος*. Vid. Genes. XL, 20.

## III.

Sed nec eâ ratione Gentilibus Natales omnes fuisse celebratos deprehendimus, quando eos etiam *Diis suis Natales* consecrâsse legimus: Qui licet pariter ad Natales propriè dictos referri nequeant, ob varios tamen & supersticiosos ritûs notari hic merentur. Scilicet multos illi circâ hominis nativitatem constituebant DEOS, puerperarum & infantum Patronos, quorum *Natales* sollemnes habebant. Vide in hanc rem Augustinum Lib. IV. de civit. DEI, capite 12. & Alex. ab Alex. de Diis variarum Gentium differentem, libr. VI, cap. 4. Eò autem ferè omnem Gentilium in celebrandis Deorum Natalibus redundâsse adverte solennitatem, quod scilicet præ omnibus aliis Deum suum, quem vocabant *Genium*, supersticiosò planè & idololatricò cultu venerarentur. Hunc Deum, *Genium* dictum iis à gignendò, quod, ut generarentur homines

mines, curaret; vel, quod cum hominibus simul genera-  
retur; vel etiam, quod genitos susciperet ac tueretur, tan-  
quam assiduum Observatorem sibi appositum esse, & se ab  
utero matris exceptos ad extremum vitæ diem comitari  
credebant, recensente hoc *Censorinò ipsò*, cap. III. de Die  
Natali: Ubi tamen mares *Genio* tantum, foeminas verò  
*Junoni* solviffe cultum probat *Lindenbrogius* ex *Tibullo*.  
Lib. IV. Eleg. 6. in Notis ad hoc caput.

#### IV.

Ad hunc Deorum cultum maximè spectabant *Pre-*  
*ses*, quibus *εὐχαριστιῶν* aliquod, *Genio* imprimis suo, pro tu-  
tela deferebant, votum quoque addebant, quò in futuros  
annos eidem se commendabant, eòque tria imprimis  
hæc contendebant, nimirum: *Bonam mentem, bonam fa-*  
*nam & bonam fidem*; cujus rei testem præclarum addu-  
cimus *Persium*, Sat. II. *Quin* & quotannis Diis suis, po-  
tissimum *Genio*, sacrificasse & munera sua obtulisse *Censò-*  
*rinus* ipse affirmat, loc. cit. Et hæc Persarum erat con-  
suetudo. Morem postmodum hunc ad Romanos quo-  
que dimanasse, ut qui pariter *Genium*, exortò sole natali-  
tiò, munere suo, ut vocabant, annali, *Libis* scilicet, *Thure* &  
*Floribus* colebant, merumque, quale in Sacrificiis libari  
adhibitum, fundebant, evincitur ex *Persio*, Sat. II. Conf.  
etiam *Tibull.* Lib. II. Eleg. 2. Horum sanè tanta, tam-  
que religiosa erat superstitio, ut in Diebus Natalibus absti-  
nerent à cæde & sangvine, quia Dies iste sibi fuisset *vita-*  
*lis*, & potius hostiæ faciundæ locò merum funderent, quod  
elegantè docet *Censorinus*, cap. II. de D. N. Confer. &  
*Alex. ab Alex.* libr. II. Gen. Dier. cap. XXII. Quamquam  
sequioribus id temporibus usquequam non ita obser-  
vatum

vatum fuisse censeat suprâ laudatus *Henr. Lindembrog.* in  
Not. ad Censor. Sicut etiam ceteras Gentes hoc minimè  
attendisse satis liquet exemplò *Pharaonis*, Natali suo su-  
spendentis Pistorem, Gen. XL, 20. & *Herodis*, Baptistana  
Natali suo capite plectentis, Marc. VI, 22. | Matth. XIV, 6.

V.

Sed alios Gentilium accuratiori loquendi modo ita  
dictos evolvemus Natales. Hos inter eminent Regibus  
Principibusque apud Gentiles celebrati, ceu sunt Antiochi,  
Syriæ Regis, dicti Epiphanes, *sed rectius ob morum pravi-  
tatem Epimanes*; hujus Natales Judæi detrectantes cele-  
brare crudelissimis affectisunt suppliciis, uti legitur Macc.  
VI, 7. Solennis quoque fuit Natalis Herodis Herodianis,  
gens ex Judæis & gentilibus conflata, à quibus Christus a-  
pud Marc. IIX, 15. cavendum nobis præcipit. Ritus quos  
observabant in diebus solennibus ridet *Pesius Satyr. 5.*

— — — — — *At cum*  
*Herodis venère dies, unctaq; fenestra*  
*Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,*  
*Portantes violas, rubrumq; amplexa catinum*  
*Lauda natat thynnus, tum & alba fidelia vino:*  
*Labra mox tacitus, recutitaq; sabbatha palles; &c.*

Num verò hi homines Herodiani dicti fuerint ideo, quod  
Herodem pro Messia agnoscerent colerentque, uti vult  
Beza & alii; num, quia milites erant aulae Herodianæ, hu-  
jus loci non est anxius inquirere. Vid. Buxtorf. in Lex.  
Talm. f. 631. Hotting. in Thes. Philol. S. p. 44. item Hein-  
sius in Exercit. ad Matth. c. XXIII, 16. Præterea purissimæ  
Latinitatis scriptor, Cornelius N. meminit Natalis Timo-  
leon-

leontis, quem tota Sicilia festum habuit, ob prælia maxima, quæ ipso Natali die confecit; c. 5. invita Timoleontis. Horum natalium etiam mentionem facit Svetonius in Augusto c. 57. item in vita Tiberii c. 26. Cæterum magnorum Virorum Natales celebrare non insolitum fuisse testatur Seneca Epist. 64. it. Hor. L. 4. Od. II. Idem Horat. ut & Juvenalis, Martialis, Tibullus, Propertius, aliiqve poëtæ, multa de solennitate Natalium, etiam privatorum hominum, reliquerunt, ad quos B. L. remittimus.

## VI.

Atqve hos ipsos ritus ut penitiùs scrutemur, pauca de externis quibusdam ceremoniis, apud Gentiles adhibitis, afferre iubet. Quorsum pertinent *Convivia*, Diebus Natalibus apparata. Peractis enim Sacris, diem reliquum lætitiæ dabant, hospites, cognatos, vicinos & clientes convocabant, & sibi invicem *θῶρα γειναικῆ* mittebant; Omnia ad contestandam mutuam charitatem, hilaritatem & gratulationem. Ritus hunc *Conviviorum* tabulæ divinæ, exemplò convivii Herodiani, Natali suo instituti, comprobant. At verò minimè probandus est luxus, in quem degeneravit hæc Gentilium solennitas, dum scil. in gratiam *Genii*, *Natalium Præsidis*, ferculis delicatis & generoso potu se totos replerent, ita, ut deinceps Priscis omne id, quod voluptuosum erat, geniale diceretur; v. g. *genialis dies*, id est, lætus dies. *Choreas* quoque institutas fuisse in *Natalibus* Gentilium, exemplum Herodiadis palàm facit. *Vestibus* quoque *albis* diebus natalibus

talibus induebantur, quod vel solus Horatius confirmat, libr. I. Sat. 2. ne in præsentī prolixè quid commemoremus de *Ludis* aliisque ceremoniis Ethnicis non infrequentibus.

## VII.

A profanis ad sacros sive Ecclesiasticos *Natales* pedem promoveo: Hi cum pariter non unius generis sint, de singulis pauca. Notandum verò de *Natalibus* veterum Christianorum in communi, eos non *terrena aut carnalis, sed mystica ac spiritualis Nativitatis diem* celebrasse, (quem illuminationis diem dicebant, sive de sanctis luminibus. Gregor. Nazianz. Orat. XL. in S. Lavacrum.) diem, non quo *nati*, sed quo *renati*, h. e. *baptizati* essent. Quod quàm pium atque religiosum fuerit institutum, facilè quivis perspicit, cum sanè ex mysticâ ratione Natalis Christianorum spiritualis, quò ad vitam æternam nascuntur, majoris sit æstimandus, quàm Natalis ille naturalis, quò ad vitam hanc peccaminosam, multis item calamitatibus atque ærumnis obnoxiam, nascimur.

## VIII.

Præter Natales Christianorum in communi, obtinuit olim in specie Solennitas *Natales Episcoporum* celebrandi: Dies nimirum ille, quo Episcopus aliquis honorem Cathedræ indeptus erat, *natalis diei*, nomine donabatur, atque anniversariò ritu solennis habebatur. Quemadmodum Romæ ad celebrandos *Petri Apostoli Natales*, Episcopi vicini ut convenirent, moris erat.

Quò

Quò spectare etiam puto *Festum Cathedra*, in honorem  
ejusdem Petri solemnè ritu transactum, quod illum Ro-  
mæ cathedram prædicatione Evangelii fundasse crede-  
rent. Sed & extrà Ecclesiam Rom. Pontificis aliorum  
quoque Episcoporum Natales celebres fuisse, testis est  
Ambrosius, in Epist. ad Felicem Episcopum Co-  
mensem

## IX.

Digni verò inter cæteros omnes, qui commemo-  
rentur in præsentì, sunt *Martyrum Natales*, ita nuncu-  
pati, non equidem, quod iis nati aut renati, sed quod  
*denati* essent. Vid. Not. *Henr. Lindenbr. in Censor.*  
cap. II. Patribus quibusdam hi Martyrum Natales ap-  
pellantur *Dies Passionis, Dies Coronationis; Græcis* di-  
cuntur *ἐπιτάφια ἡμέρα*; Undè & Latinis *Anni & anni-*  
*versarii dies*, vel absolutè *Martyrum dies*, ut est apud  
Eusebium, lib. IV. de Vita Constant. M. frequentissimè  
verò *Festa Martyrum, Feria Martyrum, Dies festi*  
*ac feriati Martyrum, Solemnia & Solemnitates Mar-*  
*tyrum* dicebantur. Emortuales hos Martyrum dies,  
quod *Natales* vocarent, mystica denuò ratio subest.  
Indigitare enim hòc ipsò voluerunt, diei hujus præ il-  
lo, quò in vitam hanc naturalem ingredi contigisset,  
felicitatem, quod nempè hic emortalis verè esset vi-  
talis, quò anima ad cœlestia migrasset. Hùc & ipse Sa-  
lomon respiciens meliorem diem mortis die nativita-  
tis judicavit, Ecclesiast. VII, 2. Eleganter in hanc  
rem dixisse fertur Petrus Chrysologus, Sec. V. Epi-  
scopus Ravennas, Sermone de S. Cypriano: *Nata-*  
*lem Sanctorum cum auditis, charissimi, nolite putare*

B

illuxit

illum dici, quò nascitur in terram de carne, sed de terra in cœlum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas sed fortes & stabiles & æternas; de mundanis risibus ad coronam & gloriam. Tales Natales dignè Martyrum celebrantur.

X.

Ritus horum *Natalium*, misâ originis & loci, quò celebrati fuère, investigatione, brevibus nunc quoque, prout instituti nostri postulat ratio, recensemus. Eò faciunt ritus isti, qui *Natales Martyrum* precedebant, vel concomitabantur. Ad illud referimus *publicam Natalium eorum* (quorum Dies, quibus vel supplicio sublatis essent, vel in carcere mortem obiissent Martyres, à Majoribus sollicitè annotati erant) *Denunciationem*, factam per Internuncium aliquem, qui *Cursor* dicebatur. Ubi tamen notandum, tempore quadragesimali non nisi die Sabbathi & Dominicò Natalitia fuisse celebrata. *Vigilia* quoque huc pertinent, quas nocte illa, quæ solemnia festa adeoque & Natales Martyrum precedebat, exantlabant precibusque vacabant. Ad secundum momentum, ritus nempe illos, quibus in ipsis Martyrum Natalibus operabantur, notamus *Sacræ Cœnæ administrationem*, *Precum* itidem ante administrationem illam *recitationem*, in quibus Martyrum fiebat mentio. vid. *Cl. Sagittarium*, *Prof. Jenensem*, rem hanc testimoniis Patrum corroborantem, in *Dissertatione inaugurali, de Natalitiis Martyrum*, cap. V. §. 2. & 3. Quæ vetò *preces* ita erant comparatæ, sive pro Sanctis Martyri-



tyribus, sive aliis, qui in fide christiana decesserant, funderentur, non ut ipsi demortui invocarentur, sed ut pro iis orarent Sacerdotes coram Altari, æternam eis beatitudinem apprecantes. Verbo; Non erant Preces propriè dictæ, quin potius oratio, quæ celebrabatur DEUS, pro gratiâ, illis, dum viverent, præstitâ, quodque Martyrum constantiam glorioso exitu coronasset. Frustraneò proinde conatu Pontificii hinc suam Sanctorum Invocationem, quin & Sacrificium missaticum pro iis, qui in Purgatorio hærent, exsculpe-re & stabilire satagunt. vid. *Saggitar.* cap. cit. à §. 4. ad II. eruditè hac de re differens.

## XI.

Morem quoque *conspergendi Martyrum tumulos floribus*, usitatum olim Gentilibus, adhibuisse leguntur Christiani veteres, nec non *vinum sepulcris Martyrum affudisse, balsamò itidem & unguentis tumulum conspersisse.* Ad maximam verò B. Martyrum spectabat venerationem, quod *reliquias eorum, quæ quandoque circumferebantur, oscularentur; Acta etiam Martyrum publicè in Ecclesia legerent & Hymnos atque Psalmos decantarent in Natalibus. Sermones quoque sacri habebantur & Scriptura sacra explicabatur, non tam in Natalibus Martyrum quàm aliis etiam sacris conventibus.* In primis hi sermones erant *Encomiastici*, quibus Martyrum virtus atque constantia decenti laude efferebantur. Atque has laudes purior Antiquitas in hunc maximè finem semper instituit, ut posterorum animos exemplis talibus ad pietatem

pariter & animi fortitudinem institueret ac inflammaret.

## XII.

Integram denique Natalium horum Martyrum Solemnitatem absolverunt *Convivia*, primùm in Cœmeteriis agitata, deinceps verò in ipsis Ædibus sacris instituta: Quod tamen cum ultrà decorum & licentiùs, quàm par erat, fieret, prohiberi cæpit in Concilio Laodicensi. Sobrius alioquin Conviviorum horum initiò erat usus, postmodùm etiam, Auctore Constantino M. in piùm conversus, dum opulentiores Convivia hæc ex liberalitate sua apparantes, pauperum præcipuè inopiam sublevabant, eosdemque reficiebant. Coronidis locò annectere lubet *Quæstiones* duas ad rem præsentem pertinentes.

### Qv. I.

*An liceat Christianis Natales suos (intellige non mysticos illos veterum Christianorum, verùm naturales) solemnivitu celebrare?*

Scriptura sacra quidem (canonicam intellige) duorum tantùm Natalium, Pharaonis nempe & Herodis meminit, quorum uterque Natalis sui festivitatem profusione sanguinis cruentavit, ille quidem dum Pistorum supremum suspendi, hic verò dum Johannem pœnitentiæ Præconem

nem

nem decollari curavit; In quam rem apprimè scribit Hieronymus Lib. II, in Matthæum, Cap. XIV. *Nulum alium*, inquit, *invenimus observasse diem Natalis sui, nisi Herodem & Pharaonem, ut, quorum par erat impietas, esset & una solennitas.* Quæ verba Hieronymicum sub nomine Paschafii Ratberti, ex ejusdem Libro VII, in Matth. Col. 613, citet Dietericus in Antiquit. Bibl. ad Jer. XVI, 8. Ratbertum nomine Pharaonis seductum, atque inde errasse advertit. Quicquid hujus rei sit, exemplis hisce adducti Patres Ecclesiæ, omnem *Natalium* celebritatem damnasse, execrassè, atque è Christianorum cœtu proscripsisse leguntur. Undè & Christiani veteres ab ejusmodi *Natalibus* celebrandis abstinuerunt, imò abhorruerunt. Ast non obstante hõc, quod in Scriptura expressum & speciale hujus rei non extet mandatum, multò minùs promissio, sanè à Scripturæ silentio ad rei sive facti alicujus interdictum non licet argumentari. Neque Patrum hic sententia rem dubiam nobis facit, cum certè illi non ἀπλῶς, verum κατὰ τι, propter abusum quendam atque luxum è Gentilismo derivatum Natalitia rejecerint. Si verò modò decenti & verè Christianò celebrentur, imprimis εὐχαριστικῶς quisque suò *Natali* pro tot bonis, per singulos, ab infantiâ inde annos, præstitis, ex Syriacidis cap. L, 24. offerat, atque in DEO suo exultet ac gaudeat, quid quæso, solemnes agere Natales vetabit?

B 3

Qv. II.

Qv. II.  
*An Natales dici queant  
fatales?*

Sæpenumerò insignibus Viris Natalem suum  
extitisse fatalem, ita ut die eòdem, quo spirare coepe-  
rint, etiam exspirarint, testis est historia; Quorum  
Exemplorum copiam nobis facit, *D. Hildebrandus* in  
Libro suo de *Veterum Natalitiis*. Hodienum quoque  
multis idem evenire, experientia facilè confirmat.  
At verò Dies ejusmodi fatales dici merentur, non ex  
se & sua natura, verùm ex divina voluntate ac ordi-  
natione, adeoque fata ejusmodi cum ipsa DEI pro-  
videntia paria faciunt. In illius enim manu sunt di-  
es vitæ & dies necis: Cui & nostros *Natales*,  
quoties illuxerint, devotè commen-  
damus.



Ju-

Juveni præstantissimo Domino  
**JOH. JAC. BECHLERO,**  
Amico suo  
S. D.  
**PRÆSES.**

**H**Anc ingenuæ & præclaræ  
mentis indolem esse, ut nulla  
non ardua, dummodo ad celebra-  
tem famæ faciant, moliantur & co-  
nentur, exemplo per quã laudabi-  
li, Præstantissime Bechlere, com-  
probasti. Sunt multi, qui ingenii  
sui vim atq; vires jactant, & spretis  
aliorum conatibus, se solos sapere  
superciliosè nimis autumant; qui  
tamen sæpe numero, ubi eruditio-  
nem suam probare debebant, mul-  
tum deesse sibi non sine opprobrio  
experiuntur. At verò ex hujusmo-  
di

di hominum censu, Te, mi Bechle-  
re, haud esse, fat superq; deprehen-  
di, cum nuper cathedram philoso-  
phicam mecum ascenderes, egre-  
giè mecum in palæstra disputato-  
ria pugnabas, atq; eruditione tua  
magnoperè Te mihi, & aliis com-  
mendabas. Talem, ingenuè lo-  
qvor, in respondendi munere Te  
præstitisti, ut publico Elogio te  
ornare non dubitem. Secundet  
porrò divina Clementia conatus  
tuos, atqve eruditionem tuam in-  
dies augeat, qvò majora hoc spe-  
cimine aggredi infuturum non ve-  
rearis. Sic fiet, ut in organon Dei  
salutare evadas, eruditis in pretio-  
sis, Tibi quoqve tuisq; famam  
atqve decus concilies.

Vale.









Wittenberg, Diss., 1687

ULB Halle

3

005 452 384



V077





